FLORA.

68. Jahrgang.

No. 15. **Regensburg, 21. Mai** **1885.**

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — H. G. Reichenbach f.: Neue *Orchideen*-Species. — Hermann Fischer: Ein Beitrag zur vergleichenden Anatomie des Markstrahlgewebes und der jährlichen Zuwachszonen im Holzkörper von Stamm, Wurzel und Aesten bei *Pinus Abies* L. (Fortsetzung.) — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima quarta. — Exponit W. Nylander.

1. Omphalaria frustillata Nyl.

Thallus nigricans peltatus firmus parvulus, saepe caesio-suffusus (latit. 1—3 millim. vel minor), placodioideus ambitu subcrenato, demum diffractus subangulose divisus; apothecia obscure rufa lecanorina (latit. 0,3—0,4 millim.); sporae 8nae turgidule ellipsoideae, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,008—10 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

In Pyrenaeis orientalibus, Amélie, adnascens parietibus praeruptis saxorum calcareorum viae versus Perpinianum sat frequens.

Species inter alias *Omphalariae nummulariae* facie accedens facile distincta sporis turgidulis vel subglobosis. *O. tiruncula* Nyl. multo est minor.

2. Parmelia perrugata Nyl.

Esse videtur subspecies *Parmeliae prolixae*, thalli laciniis (praesertim centro et inde a juvenili Lichene) transversim

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0297-9

conferte rugato. Sporae longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,0045—0,0055 millim. Spermatia bifusiformia (etiam minora quam in *P. prolixa*), longit. 0,0035—0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim.

Supra saxa schistosa ad Amélie, altit. 700 metr.

Thallus nec K, nec CaCl reagens.

3. *Lecanora intuta* Nyl.

Thallus obscure glauco-cinerascens, tenuis, areolatus; apothecia nigra sublecideina (latit. 0,2—0,3 millim.), margine sublecanorino saepius cincta; sporae 8nae fuscae 1-septatae vel biloculares, longit. 0,020—27 millim., crassit. 0,010—13 millim. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Prope Amélie super saxa siliceo-schistosa.

Species prope *Lecanoram subconfragosam* Nyl. Obs. Pyr. or. p. 20 locum habens, sed thallo et facie externa accedens ad formas circa *L. gibbosam* dispositas. Thallus K —.

Adest comparanda *L. dissentanea* Nyl. (super rupes trachyticas in Hungaria, Lojka, 1868), quam olim formam habui *L. teichophilae*, sed ei apothecia zeorina, thallus cinereo-albidus sublaevigatus, areolato-diffractus.

4. *Pertusaria excludens* Nyl.

Thallus albidus firmus rugoso-inaequalis rimoso-diffractus; apothecia in sorediis prominulis rugosis vel supra rugoso-subplicatis (latit. 0,6—1,2 millim.); non visae.

Ad Amélie super saxa micaceo-schistosa passim.

Thallus K e flavo ferruginee rubens. Accedere videtur ad *Pertusariam dealbatam* (Ach.), sed nulla gaudet formatione isidioidea et hypothallus ei I —. Spermogonia spermatiis rectis, longit. 0,0045 millim., crassit. 0,0005 millim. Thallus crassit. 0,5 millim. vel nonnihil crassior.

5. *Lecidea flavella* Nyl.

Thallus parum conspicuus; apothecia flava vel albo-flava, convexula immarginata minutissima (latit. circiter 0,1 millim.), intus concoloria; sporae (fere 50nae in thecis pyriformibus) globulosae (diam. 0,002 millim.), paraphyses graciles. Iodo gelatina hymenialis bene coerulescens, dein thecae vinose rubescentes.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0298-5

Super truncum Laricis cariosum in valle Koprova, Tatra, in Hungaria.

Species minutella in stirpe *Lecideae improvisae*, facie fere *Thelocarpi*.

6. *Lecidea scotochroa* Nyl.

Thallus umbrinus tenuis areolatus (vix K reagens); apothecia nigra innata minutula (latit. circiter 0,2 millim.); sporae 8nae crassit. 0,005—7 millim., epithecium et hypothecium fuscescentia. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super saxa schistosa ad Amélie, prope nosocomium militare, altit. 400 metr.

Accedit facie et affinitate ad *L. olivaceo-fuscam* Anzi, sed apothecia minora, saepe faciei lecanoroideae, interdum tenuiter albo-marginatula, hypothecio rufo-fusco. Thallus medulla I —.

7. *Verrucaria praeviridula* Nyl.

Thallus virens tenuis demum rimulosus, intus albus; apothecia pyrenio dimidiatim nigro prominula (latit. 0,2 millim. vel minora); sporae ellipsoideae vel oblongo-ellipsoideae, simplices, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,005 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

Super saxa calcarea umbrosa circa Thermas Herculis in Hungaria (Lojka).

Facie fere accedens ad *V. virentem* Nyl., sed thallo sublaevi et aliis notis distincta; primo visu cum *V. chlorotica* comparanda. Hypothallus albus. Thallus avide a molluscis depascitur, sed animadvertatur, semper in tali casu solum stratum corticali-gonidiosum devorari, relictis apotheciis et strato medullari (quoque hac occasione notetur in *Peltidea aphthosa* tum cephalodia ab animalculis lichenivoris non tangi); gonidia escam praecipuam sistunt.

8. *Verucaria internata* Nyl.

Thallus macula alba indicatus; apothecia nigra calcivora planiuscula, pyrenio parte immersa incolore (latit. 0,2 millim.); sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,009—0,010 millim.

Amélie super saxa calcarea ultra nosocomium militare, altit. 700 metr.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0299-3

Affinis *Verrucariae rupestri*, sed sporis minoribus diversa. Sporae contra majores quam in *V. truncatula* Nyl. et affinibus. Thallus veris gonidiis munitus.

9. Verrucaria symbiotica Nyl.

Thallus pallidus adnatus *Verrucariae pallidae;* apothecia immersa pyrenio nigro sat tenui (latit. vix 0,2 millim.); sporae 8nae incolores clavato-oviformes (vel formae acinorum uvae), 1-septatae, longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,008 millim., paraphyses molles mediocres. Iodo gelatina hymenialis non tincta, sporae solae fulvo-rubescentes.

Amélie in semita ascendente in rupibus Mondony, altit. 300 metr.

Thallus squamuloso-adnatus *V. pallidae* apotheciis solitis (latit. 0,25 millim.), nonnihil obscurior observatur immixtus; in pallidiore *V. symbiotica* parasita videtur, pertinens ad stirpem *Verrucariae epidermidis.* Thecae clavatae.

10. Obryzum latitans Nyl.

Apothecia innata minutissima, pyrenio integre nigro (latit. fere 0,1 millim.); sporae 8nae incolores oviformi-oblongae, 1-septatae, longit. 0,016—21 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses gracilescentes. Iodo gelatina hymenialis non tincta, sed protoplasma thecarum fulvo-rubescens.

In thallo *Omphalariae cribelliferae* prope Amélie.

Accedit ad *Verrucarias* stirpis *V. epidermidis.* Thecae oblongo-saccatae.

11. Thelocarpon vicinellum Nyl.

Simile *Thelocarpo excavatulo* Arn., sed globulis non depressis et sporis ellipsoideis longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,003—4 millim.

Super lapides porphyricos locis humidis umbrosis circa Paneveggio in Tyrolia meridionali (Lojka, 1884).

Facies *Th. epilithelli.* Nimis parce visum.

Observationes.

1. Ad *Collemopsin obtenebrantem* in Addendis prioribus, Flora 1885, p. 39, addatur, apothecia esse punctiformi-impressa, epithecium in lamina tenui saepius glaucescens. — *Collemati tenaci* Ach. thallus I +.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0300-9

2. *Dendriscocaulon* genus novum sistat *Leptogium bolacinum* Schaer. Dedit Acharius hoc nomen *bolacinum* ex Dillen. Hist. Musc. t. 10, f. 35, quod vidi e specimine ipsius Dillenii esse *Leptogium pulvinatum* Ach. Ad *D. bolacinum* (Schaer.) pertinet *Cornicularia Umhausenis* Auersw. in Arn. Ausfl. VII, p. 280, Exs. no. 480.

3. Arn. Exs. 1083 in mihi misso exemplari est *Pannularia nigra*, ut dixi in Flora 1885, p. 44. Sed dein auctor „meliora specimina" misit, quae sistunt *Leptogium Massiliense* Nyl. in Flora 1879, p. 534, sterile. Tum illo no. 1083 hoc nomen intelligendum est, dolemusque nos id non mox obtinuisse *Leptogium*, quod evitaverat auctori confusionem tribuere, qualis in mente illius non fuit.

4. *Lecidea viridirufa* herb. Ach. epithallum habet K non reagens, sed thallus ille forsan non normalis.

5. *Usnea plicata* (L.) non est nisi *U. dasypoga* glabrior, spinulis evanescentibus. Datur in Fr. L. S. no. 270. Optima occurrit in Vogesis (Rev. Hue). *U. scabrata* Nyl. accedit, sed differt jam spinulis nullis et thallo longe scabriore.

6. *Lecidea plana* * *subsuffusa* Nyl. Thallus albus, parum visibilis, dispersus, evanescens; apothecia plana caesio-suffusa, rarius nuda, intus alba; sporae oblongae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,003 millim. — Super saxa micaceo-schistosa et quartzosa prope Amélie, altit. 500 metr. parce. Thallus I —.

7. *Lecanora metabolica* var. *subcuprina* Nyl. Thallus albidus vel albido-rosellus, tenuis vel tenuissimus, subgranulato-inaequalis; apothecia rufofusca, vel variantia obscuriora aut pallidiora, prominula, convexula, immarginata (latit. 0,3—0,4 millim.), intus alba; sporae 8nae cylindraceo-oblongae, 3-septatae, longit. 0,012—17 millim., crassit. 0,0035—45 millim., paraphyses mediocres, epithecium vage fuscescens, perithecium fuscescens, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens. — Supra saxa calcarea prope Bresztova in Hungaria (Lojka). — Variant apothecia basi et margine albo-suffusa. Facie fere *Lecideae cupreorosellae*, haec vero sporis et paraphysibus tenuioribus etc. Non multum differt *L. metabolica* * *albariella* Nyl.

8. *Verrucaria subnitescens* Nyl. Thallus luridus squamuloso-firmiusculus, squamulis lobatis, demum concrescentibus; apothecia pyrenio nigro (latit. 0,3—0,5 millim.), ostiolo nigro demum prominulo majusculo; sporae 2nae subincolores (vetustae

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0301-5

infuscatae) murali-divisae, longit. 0,032—80 millim., crassit. 0,014—23 millim. — Ad Palalda prope Amélie supra terram inter rupes calcareas. — Forsan subspecies *Verrucariae Garovaglii* jam thallo dignoscenda. Sporae breviores ellipsoideae, longiores oblongae, rarius clavatae.

9. Verrucaria subscabridula Nyl. Thallus glauco-cinerascens vel pallescens, squamosus, squamis superficie saepius punctato-scabridellis, subimbricatis, hypothallo incolore; apothecia pyrenio integre nigro (juvenili incolore); sporae 2nae demum fuscae, ellipsoideae vel oblongae, longit. 0,025—35 millim., crassit. 0,012—17 millim. — Prope Amélie, supra terram subulosam versus Montbolo. — Forsan sola subspecies *Verrucariae Garovaglii*. Squamae crassit. vix 0,2 millim., subtus radicibus fragilibus. Apothecia latit. circiter 0,2 millim. Thallus humido statu virescens. Sporae visae minores quam in *V. Garovaglii*.

10. Non sine stupore in Wain. Adj. p. 197 „*Trypethelium Inarense*“ quoddam, lignicolam in Lapponia habitans exhibitum legi. Aegre credibile erat Lichenum genus tropicum in Lapponiam transsiluisse et haud minus credibile quam ibi Tillandsiam inter Phanerogamas inventam fuisse. A cl. Norrlin mihi submissum specimen mox monstravit, „*Trypethelium*“ illud Wainioanum nihil commune habere cum veris *Trypetheliis*; nec stoma, nec typum apothecii, nec naturam eorum ullo modo offerens. Quod tamquam thallus datur, sistit modo lignum pineum, saepius decoloratum, substratum speciei, de qua agitur. Sit *Sphaeria* sub ligni superficiem protrudens, pyreniis nigris (diam. 0,25 millim.), sporis 4nis fuscis oblongis, 1-, 2-, 3-septatis, longit. 0,018—26 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphysibus mediocribus articulatis, haud confertis. Gelatina hymenialis iodo non tincta (lutescens). Gonidia inter fibras ligni vagantia et sorediola passim praesentia facile thallum lichenosum indicent, forsan admixtum vel supermixtum; inde hic habemus *Sphaeriam* parasitam aut *Verrucariam*. Apothecia aut solitaria aut nonnulla aggregatim cum prominentia ligni protrusa. Inter Verrucarias *V. melasperma* Nyl. in Flora 1865, p. 357, sola est quodammodo comparanda.

11. Thelocarpon majusculum Nyl. Globulus flavo-virescens prominulus (latit. fere 0,25 millim.); sporae (in thecis myriosporis) ellipsoideae vel suboblongo-ellipsoideae, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,001 millim., paraphyses regulares thecas fere excedentes. Iodo gelatina hymenialis lutescens. — In America

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0302-0

boreali, Illinois, frequens super saepimenta lignea putrida (Dr. John Eckfeldt; communicavit Lojka). Affine *Thelocarpo Laureri*, sed majus, paraphysibus frequentioribus. Conferte crescens.

12. Dominus G. Bonnier, qui, ut pro certo affirmavit, synthesi prodigiosa ex elementis „fungi" et musci creavit Lichenem, historiam creationis illius adhuc reticet. Dolemus moram semperque avide exspectamus singula rei mirificae ediscere. Vel anne gloriosus creator musco-lichenicus numquam revelabit, quomodo e musco fit Lichen?

13. Corrigenda. In Addendis prioribus, Flora 1885, p. 45, lin. 36, pro „typo", lege: typum. Ibidem p. 47 addere conveniret quoad fig. e Winter Ueber die Gatt. *Sphaeromphale* citatam spermotiorum, nulla talia spermatia apud ullum Lichenem obvenire. — In Add. XL, Flora 1883, p. 100: „*Lecidea*" *circinatula*, lege *Lecanora*; p. 103, lin. 4: „*papulosae*", lege *papulari*. — In Add. XLI, Flora 1883, p. 535, lin. 6: „gonidia", lege: soredia.

Parisiis, die 15 martii, 1885.

Neue Orchideen-Species.

Von **H. G. Reichenbach f.**

Saccolabium coeleste n. sp.

racemo densifloro breviusculo, sepalis tepalisque oblongis obtuse acutis, labelli auriculis angustissimis sub columna, lamina unguiculata antice rhombeo obsusangula, calcari compresso curvulo, aristis geminis in calcari inclusis ab apice inferiori antrorsis. Flos albus. Labellum ac apices sepalorum ac tepalorum intense coerulei. Ex Cochin-China?

Cyrtopodium Saintlegerianum n. sp.

omnia *Cyrtopodii punctati* Lindl., bracteis parvulis bene undulatis, ovaria pedicellata non aequantibus, labello transverso laciniis lateralibus ellipticis transversis, lacinia antica obtusangula retusa, calloso marginata, callo disci ligulato obscure lobulato, non muriculato, sepalis tepalisque valde obtusis. Paraguay. St. Léger.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03548-0303-6

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1885

Band/Volume: 68

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 285-301